



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Aduersùs Magdeburgenses Centuriatores pro Canonibus Apostolorum, & Epistolis Decretalibus Pontificum Apostolicorum, Libri Quinq[ue]**

**Torres, Francisco de**

**Coloniae, 1573**

**VD16 T 1629**

Cap. X. Defensio Canonis Apostolorum iubentis bis singulis annis concilia celebrare: & quae sint testimonia, esse hunc Apostolicum Canone[m], & quae item ratio, & de necessitate, & vtilitate ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29685**

tione loquitur Canō Apostolorum 36. quod quidem Magd. minimè intellexerunt, non quia obscurum esset, nihil enim magis perspicuum esse poterat: sed quia, more suo, ita legunt omnia, quæ notant & reprehendunt, ut nihil prorsus considerent, vtrum quod primo ad spectu eis videtur, ita sit, nè fortè excidat eis, quod postea cum eorum dedecore refelli & redargui possit, quod passim eis contingit. Nihil horum curant, modò suos vtruncq; fallant, quos nihil examinatos esse, nec alia præterquam eorum scripta lecturos confidunt. Rursus alium Canonem accusant, sic enim aiunt:

*Defensio Canonis Apostolorum, iubentis bis singulis annis concilia celebrare: & quæ sint testimonia, esse hunc Apostolicum Canonem, & quæ item ratio: & de necessitate & utilitate habendi huiusmodi Synodos singulis annis secundum rationem, & scripturam, & præscam consuetudinem. Cap. 10.*

Can. 38.

**C**anon 38. bis in anno concilia celebrare iubet, sed in historijs non reperiuntur eius rei testimonia. Vna synodus ab Apostolis celebrata legitur Act. 15. de alijs, quæ quotannis bis essent factæ, non fit mentio. ] Haftenus Magd. Cum Synodus Antiochena Canone 20. dixit, rectè habere, quòd in singulis prouincijs bis quoq; anno concilia habeantur, satis apertè significauit, non tunc primùm hunc Canonem sancitum esse: nõ enim dixit, statuit: sed, Visum est benè habere. Idem quoq; significauit Synodus Nicena, cum similiter dixit c. 5. Visum est benè habere, ut bis per vnãquãq; prouinciam singulis annis concilia habeantur. Non enim ignorabat Synodus Nicena, traditum esse hoc ecclesiæ tum Canone, tum consuetudine de concilijs bis habendis per singulos annos. Confirmat, quod dicimus, S. Anacletus in Epist. 1. cum ait, Vbi fuerit summorum (Episcopos dicit) congregata congregatio, quæ per singulos annos fieri solet, & debet. Cum dixit, Solet, consuetudinè ecclesiæ significauit, quæ aliundè quàm ab Apostolica traditione, proficisci non potuit. Cum verò dixit, Debet: etiam Canonè significauit. Vtrunq; enim horù distingui solet, ut cum Synodus Nicena Canone 18. dixit: Sicut neq; Canon, neq; consuetudo tradidit. Cum ergò Synodus Antiochena hac formula verborum, Visum est benè habere, quod iam prius statutum erat, & in consuetudine positum ecclesiæ, confirmet: consequens est, ut Nicena Synodus eadè formula verborum idem quoquè faciat, id est, similiter confirmet, quod prius in Canone, & in ecclesiæ consuetudine erat: de Synodis dico, bis habendis per annũ. Sed dicent fortassè Magd. Ante Nicenã Synodum non reperiuntur huius Canonis testimonia in historijs, non fuit igitur hic Canon ante Nicenam Synodũ. An non est satis idoneus testis ipsa eadem Synodus, quæ dixit, sicut Antiochena post ipsam, Visum est benè habere? &c. Quæ igitur amentia est, negare Canonem Apostolorum de Synodis habendis singulis annis, quia eius rei testimonia in historijs non reperiuntur? Sed benè habet, q; de hac re, id est, de præcepto & lege bis habendi concilia

Ante Antio-  
chenã & Ni-  
cenam Syno-  
dos hunc Can-  
onem in usu  
fuisse, ex vers  
bis harũ Syn-  
odorum pers-  
picuè cerni-  
tur.

cilia per annū, testimoniū habemus in antiquissimo authore Tertulliano. Sic enim in libro de ieiunio cōtra psychicos scripsit: Aguntur præcepta per Græcias illas certis in locis concilia ex vniuersis ecclesijs, per quæ & altiora quæq; in cōmune tractantur. Et ipsa repræsentatio nominis Christiani, magna veneratione celebratur. Dicant nobis Magd. à quibus sunt præcepta cōcilia ista, q̄ Tertullianus dicit? an dicit præcepta à Nicena synodo, aut Antiochena? antiquiores enim synodos de hac re non habemus. Minimè. Tertullianus enim multò ante Nicenam synodū fuit. Restat igitur, vt ex Canone Apostolico, id est, ex Apostolica traditione ecclesiasticæ consuetudinis, quæ Canone ac præcepto Apostolico sancita est, hoc Tertullianus didicerit. Cū enim ait, Aguntur præcepta per Græcias illas concilia: satis apertè significat, loqui se de ordinarijs concilijs: hæc autem sunt, quæ à sanctis Apostolis bis per singulos annos præcepta sunt. Adde huc, q̄ dicendo, Per quæ & altiora quæq; in commune tractantur: illa planè significauit, quæ Canon ipse Apostolorum 37. de synodis bis per annum habedis expressit, scilicet dogmata religionis Christianæ, & controuersias ecclesiasticas: hæc enim sunt altiora quæque, quæ Canon Apostolorum 34. vocat τὰ πρῶτα, quæ quidem Canon vetat ab Episcopis sine autoritate Metropolitanī tractari, scilicet quæ huiusmodi sunt, ad cōcilium prouinciale, quod bis per annum agendū est, referenda sunt, vt ibi in cōmune, sicut ait Tertull. tractentur. Deindè si tam necessaria erant huiusmodi Synodi ad ecclesiasticas necessitates & controuersias dirimendas, vt Synodus Antiochena in Canone suo ait, cur non sibi sapientes isti persuadent, potuisse Sanctos Apostolos, immò debuisse hanc formā ecclesijs tradere? Quid enim interest, negare hunc Canonē, quia eius rei testimonia in historijs non reperiuntur, an dicere, non potuisse Apostolos, aut non debuisse hunc Canonem tradere? Si enim potuerūt, & sic oportuit, cur negant, quia in historijs non legunt, quod hic legunt? Etenim si negare liceat, quæcunq; sunt scripta, quorum testimonia in historijs non reperiuntur, ipsi sint iudices, quàm multa alia negaturi sint. Præcepit Apostolus in Epist. priore ad Corinth. vt omnia honestè & secundum ordinem fierent in eis, id est, in eorū rebus tum ecclesiasticis, tum non ecclesiasticis. Hoc autem potissimum in Synodis istis binis cuiusq; anni prouidebatur, vt oīa secundum ordinem fierent. Præterea, habenda erāt huiusmodi concilia, vt sicut Nicena Synodus Canone 45. explicauit, quæ acta essent in cuiusq; Episcopatu, & quæ deinceps agenda, ab omnibus Episcopis cum Archiepiscopo suo congregatis considerarētur, nè essent Episcopi in futuro iudicio accusandi. An verò ita fieret tunc, vt ab Apostolis sanctis traditum esset, non necesse est, reperire in historijs testimonium, vt, si non reperiatur, continuò sit falsum, sic Apostolos tradidisse: & sic eos, quibus tradiderunt, fecisse. Dicant enim Magd. an in historijs suis repperint, Vndè cœpit consuetudo habendi bis singulis annis cōcilia prouincialia Episcoporū? an verò, quia nusquam in historijs testimonium huius originis repperunt, idcirco Canonē

Tit. I.

Conformis  
Canon hic  
Apostolico  
est precepto.  
Sap. 6.

Magd. ex ne-  
gantibus im-  
peritè argu-  
mentantur.

Nicenum, & Antiochenum de huiusmodi Synodis habendis, negare audebunt? quod si hos Canones negare non audent, cur Canonem Apostolicum audent? presertim cum, ut dixi, sicut Antiochena Synodus verbis suis significauit, non se primum eum Canonem sanxisse, sic quoque, ut antea dixi, Nicena Synodus eisdem verbis idem significauit. Preterea, cum Paulus scribit ad Titum, Reliqui te Cretæ, ut ea, quæ defunt, corrigas: & constituas presbyteros per ciuitates, sicut & ego tibi disposui: non dixit, Sicut ego tibi dispono, si quis sine crimine est, vnus vxoris vir, & quæ sequuntur, nè ad hoc tantum, quod ad qualitates ordinandorum pertinet, illud verbu referendu esse existimaremus: sed dixit, Disposui, ut intelligeremus, tradidisse Tito *ἑτάξας*, id est, dispositiones, siue constitutiones, quæ etiam Canones vocari solent, quemadmodum, quæ deessent, corrigere deberet, & quemadmodum constitui & ordinari Episcopi deberent. Ad vtrumque enim referendu est illud verbu, Disposui. Quomodo verò quæ deerant, corrigere melius poterat, qui toti insula præerat, quàm cum concilio Episcoporum prouincialiu, id est, caput cum membris? cum scriptum sit in sapientia Salomonis, Multitudo sapientiu sanitas est orbis terraru. Quo quidem nihil vtilius, neque salutarius prouisum esse potuit, quàm si huiusmodi correctio bis per annu fieret. Quare, ut hunc locum finiam, cum tanta vtilitas hoc Canone prouisa sit, tanta in eo antiquitas & autoritas insit, & cum Apostolicis præceptis tantoperè congruat: quæ imprudentia est, tam salutare dispositionem Apostolici Canonis, à Clemente Romano Apostolorum discipulo descriptam, negare? quia, inquiunt, testimonia eius rei in historijs non reperiuntur. Quæ ista tanta inuidia, quod istas diuinas regulas siue Canones, ad res ecclesiæ diuine & Apostolicè constituendas & moderandas, à sanctis Apostolis, omnium ecclesiarum Catholicarum magistris, traditas habeamus, & seruemus? Nos igitur rationem, scripturam, & priscam ecclesiæ Catholicæ consuetudinem in hoc Canone defendendo sicut in reliquis, quos accusant, sequimur. Vos verò Magd. quid sequimini in repudiando eum & calumniando, nisi odiu ecclesiæ nostræ & inuidiam, & illud vestrum argumentandi genus ex negantibus, quod in schola Martini Luteri Germanici prophetæ didicistis? Non reperiuntur testimonia huius rei in historijs, ergo non est hic Canon Apostolorum. Iamne videtis Germani, iamne videtis istorum, qui vos decipiunt, ludos, nugas, & ludibria? Sed videamus reliqua, quæ sequuntur.

*Responsio ad ea, quæ à quibusdam obijci, vel potius quæri solent in ex-  
tremo Canone Apostolorum de Euangelio Ioannis, vtrum ante mortem Cle-  
mentis, immò Beati Petri scriptum sit: & quomodo intelligendum, quod est  
in Canone Apost. 28. Penitus à communione abscondatur, ut Simon Magus  
à me Petro. item de tertio lib. Maccab. & de lib. Actorum Apostol. vbi &  
quomodo à Clem. Rom. inter lib. Canonicos relatus sit. Cap. 11.*

Quia